DE VERBO HOMINE *FACTO*

PUBLICA DISERTATIO

QUAM

Illustrissimo ac Reverendissimo

D. D.

PAULO FRANCISCO JUSTINIANO

EPISCOPO TARVISINO

DUCI MARCHIONI ET COMITI

S. S. D. N. P. P.


Prælato Domestico, & Pontificio solio Episcopo assistenti &c.

D. O. C.

DOMINICUS ZANUSIO

DE ORMELLIS

Seminarii Tarvisini Alumnus.



TARVISII,

MDCCLXXVI.



TYPIS SEMINARII EPISCOPALIS,

APUD JULIUM TRENTO

SUPERIORUM PERMISSU.


520

Illustriss.me ac Reverendiss.me

PRÆSUL

JActa est alea. Quæ in privata palestra exagitavi, nunc ætate non satis firma, & ingenio non satis litterarum cultura subacto in publicam concertationem proferre audeo, & magna, gravissimaque de Verbo Homine facto pertractare. Quemadmodum enim Publius ille Cornelius Scipio, qui postea ex victoria Africanus est appellatus, cum sibi ædilitatem petenti Tribunos Plebis adversarios haberet, quod ad petendum nondum legitima ætas esset:

ſatis, *inquit*, annorum habeo, ſi me Quirites habilem facere volunt: *ita & mihi ſat eſſe omnia non dubito, ſi habilis per Te unum efficiar, cujus beneficia in me tanta, tamque ingentia alta mente repoſita nulla unquam delebit oblivio. Equidem me non latet Socratem olim de rebus Philoſophicis diſputaturum coram Phædro prius ſibi pallio caput obnupſiſſe, quam inſtitutam provinciam aggrederetur; propterea quod haud parvi periculi ſibi eſſe ducebat cum ſummi Platonis diſcipulo in diſputationem venire. Qua de re, ſi præclaro illi Philoſopho, qui Apollinis oraculo omnium ſapientiſſimus fuerat judicatus, unius eruditi viri præſentia tam gravem intulit timorem, ut ſuæ contentionis puderet, formidoloſum hominem quid diſſimulem? Etenim me commovet rerum tractandarum gravitas, ac difficultas. Perſentio arduam pugnam laboris, maximique periculi plenam. Obcæcatos, perditoſque Judæos aggredior, quibus Divinæ Incarnationis altiſſimum, & ineffabile Sacramentum ſcandalum videtur;*

Gen-

Gentilium deliramenta, & furorem penitus subvertere tentandum mihi est, queis præcipuum hoc Fidei nostræ momentum videtur stultitia; Audaciam tandem, temeritatemque quamplurium hæreticorum irridere, & exagitare mei ufficii esse debet, qui pro modulo suo aberrantes sophismatibus, & innumeris cavillationibus tam Sacrum, tamquam Divinum Mysterium miserandum in modum vel contaminare, vel funditus evertere conantur, dum vel duplicem in Christo adstruunt Personam, vel perfracte duas negant naturas, vel duplicem voluntatem recognoscere refugiunt, & Christum pro omnibus passum renuunt confiteri. Me etiam deterret temporis brevitas, qua solidis hisce disciplinis operam tradidi; & me haud parvo terrore afficit nobilis doctissimorum consessus, ac præsentia, quorum acre judicium summopere pertimescendum intelligo. Hæc omnia ita me afficiunt, & tantam vim habent ut & singula me a proposita via deterreant. Quid igitur in tanta animi mei perturbatione, & terrore con-

silii

silii capiam? Quo me vertam, nisi ad tuam clementiam Præsul Amplissime? Te igitur unum intueor, cum ad Te unum spectet omnis disputatio hæc mea. Et ob quantum, Amantissime Pater, sentit animus roboris, alacritatis, & lætitiæ, dum in Te unum oculos injicio, qui quantum splendoris, & dignitatis huic meæ concertationi adjicis præsentia, tantum præclara merita tua, nihil esse tam disertum, nihil tam elaboratum ingenio, nihil denique ita ex omni parte perfectum, quod Tibi ex æquo respondere possit, non obscure declarant.

Non is sum, qui eximiam virtutum tuarum gloriam, oris, animique benignitatem, summam in difficillimis rebus dexteritatem valeam recensere, aut quanti existimari debeant, dicendum sumam. Modestia illa tua singularis tibi prope congenita laudes omnes interdicit, & non laudari, sed laudanda facere patitur. Prætеream igitur omnia. Ast silentio non prætermittam permagnam illam sollicitudinem tuam, atque incredibilem vigilantiam in promovendis studiis,

diis, augendaque pietate ad sapientissimum illud vetus effatum, quod quæ ad Deum ducit via est pietas cognitioni conjuncta. *Quis enim non admiratur multa, & gravissima hujusce virtutis tuæ monumenta? Satis clare loquuntur & Seminarium hoc a Te uberius amplificatum, & novæ scholæ in eodem per Te apertæ, quæ cum incipiant a Latinæ, Græcæque linguæ institutione, & viam sternunt ad omnem litteraturam, & elegantiam, & sic adolescentes per politiorum litterarum studia ad severiores omnes disciplinas traducunt. Quis non admiratur solertem illam curam, ac diligentiam, qua selectos ad quamlibet disciplinam libros undique comparare studes; utque nullum subsidii genus ad artes, scientiasque omnes fovendas clarissima hac in Civitate desiderari possit, & in propriis laribus ad omnium Civium commodum, & utilitatem Bibliothecam instituisti, & alteram hocce in Seminario Præceptorum præsertim usui accommodatissimam: quo fit, ut nihil intentatum relinquas, quod omnium animos ad*

veræ,

veræ, solidæque pietatis, & virtutis cultum valeat informare, & consolidare. Sed tempus me deficeret, si singula, quæ te circumstant decora, & ornamenta, persequi vellem. Id unum igitur superest, ut Vos, Auditores Ornatissimi, Nobilissimi, quos comitate animi singulari huc frequentes adesse video, enixe obsecrem, ut & disputationem hanc meam, non ex sapientia vestra, sed ex mea imbecillitate metiri non recusetis, &, qua soletis benignitate, quidquid incomptum, atque invenustum auribus vestris appulerit, adolescenti Theologicis studiis non satis imbuto, ac primo in publicam prodeunti perhumaniter condonare velitis. Te interim, Præsul Amplissime, Amantissime Pater, rogo, atque obtestor, ut me in tuam clientelam suscipias, tuoque favore, tuaque virtute ita me multis de causis desperantem prosequaris, ut quantum illæ timoris, & formidinis addunt, tantum lenitas tua, atque auctoritas me erigat, foveat, atque confirmet. Hoc si sentiam, me non mediocrem laborum meorum fructum intelligam percepisse.

DE

DE VERBO HOMINE FACTO.

I.

NON in solo opere virtutis, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei angusta & ardua via est, quæ ducit ad vitam: & magni laboris est, magnique discriminis inter dubias imperitorum opiniones, & verisimiles falsitates per unam sanæ doctrinæ semitam inoffensis gressibus ambulare: & cum undique se laquei erroris opponant omne periculum deceptionis evadere (*a*). Hoc maxime intelligimus cum de Verbo homine facto instituitur disceptatio: nam nullibi & major opinandi lascivia reperitur, & tam multiplex, & tam copiosa hæresum ubertas, dum fidei simplicitate neglecta, humanis ratiocinationibus, & græcæ Philosophiæ ope ac præsidio summa, & incomprehensa percipere contendunt homines potius quam fide consequi (*b*). Hanc procul dubio unam præcipuamque rationem credimus, ac judicamus, propter quam multi magnum hoc pietatis Sacramentum vel *omnino non credunt*, vel *non sicut est credunt*. (*c*) Quapropter cum magnum bonum conferat inquisitio verita-

B tis,

(*a*) S. Leo serm. 5. de nat. (*b*) S. Athan. (*c*) S. Fulg.



tis, quæ tamen, ut ait Fulgen. (*a*) tunc desiderato non frustatur effectu, cum rectis ad veri cognitionem lineis animus intendatur; cumque disputatio hæc nostra *credenda* non *intelligenda* respiciat, dicam cum S. Amb. (*b*) *Janua nostra fides est*: & instar fundamenti se habent Scripturæ, Synodi Æcumenicæ, perennis Sanctorum Patrum sententia.

II.

Habet Theologia plura (quod non inficior) quæ intellectu comprenhendere possunt homines, notiones videlicet, dogmata, quæ ex fidei deducta principiis, & iis innixa commentando, & differendo colliguntur: unde Petrus ad Christum: *& nos credimus, & cognovimus, quia tu es Christus filius Dei* (*c*). Quæ verba nos edocent rectum hunc esse ordinem, sequendam & semper tenendam hanc normam, uti prior sit fides, qua credimus, quam cognitio: ut Basilius, Augustinus, & præcipue Cyrillus Alexandrinus hisce verbis nos admonet (*d*): *Post fidem cognitio sequitur, non illam antecedit, quemadmodum scriptum est: si non credideritis, non intelligetis. Postquam enim basis instar constituta fuerit in nobis simplex, nec curiosa fides, super hac deinceps, ac paulatim cognitio struitur, quæ nos ad mensuram ætatis quæ, in Christo est, attollit, & ad virum perfectum, & spiritualem*. In his igitur, quæ nobis credenda proponuntur, absit, ut dux & magistra sit ratio. Recognoscimus enim rationem quasi ancillulam, & pedissequam, quæ non debet mentes meliori luce afflatas regere, ac ducere, quo velit, sed potius obsequi, ac præsto esse ad tutelam, ac ministerium.

Hinc

(*a*) ad Tract. l. 1. c. 4. (*b*) in psal. 116. (*c*) Joan. c. 670.
(*d*) lib. 4. com. in Joan.

Hinc Petrus Damiani ait (*a*) *hæc humana mentis peritia, si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibimet arroganter arripere: sed velut ancilla dominæ quodam famulatus obsequio subservire: ne si præcedit oberret: & dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimæ virtutis lumen, ac rectum veritatis tramitem perdat.*

III.

Hisce igitur jactis fundamentis, nos ea, quæ de Verbo facto homine credenda proponit Catholica Fides, a triplici veluti perenni fonte: nimirum Sacra Scriptura, Synodis Æcumenicis, & constanti SS. PP. sententia deducenda esse non dubitamus; atque ideo profitemur Dei Verbum, quod in principio erat apud Deum, & Deus erat, hoc est unicum Dei filium consempiternum in nullo a Patre esse differentem: hunc conceptum de Spiritu Sancto, de Maria Virgine natum, & carnem factum, qui propter nostram salutem descendens de Cælis, semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.

IV.

Eximium hoc divinæ misericordiæ opus, & magnum pietatis Sacramentum, quod Judæis videtur scandalum, gentibus stultitia, Socinianis aliisque ejusdem farinæ hominibus summæ contradictionis, & implicantiæ, ut ab omni errorum pæstilentia, & calumniis vindicemus; possibilitatem ejus, seu non repugnantiam, five

(*a*) Opusc. 36. c. 5.

five ex parte Divini Verbi fumatur, five ex parte humanæ naturæ, five ex parte unionis, propugnamus, & conftanter dicimus incarnationem poffibilem omnino effe, Divina operante virtute.

V.

Hinc ad Judæorum pervicaciam retundendam gradum facimus, qui quamquam dubitare minime poffint, Deum fuam reparandi homines voluntatem Adamo primum, tum aliis permultis e Patriarcarum, & Prophetarum numero indicaffe, futurum aliquando Meffiam, qui univerfum redimeret populum, perpetuamque felicitatem hominibus adipifceretur; (quæ revelatio profecto in caufa fuit, ut veteres ex Judaica gente præfertim fumma fedulitate, atque fummo animi ardore tempus, quo venturus Meffias, exploraffent) attamen ad perfuadendos incautos etiam nunc præftolandum promiffum reparatorem jactitant, ac proinde, a majoribus fuis recedendo, nullum in Scripturis certum effe Meffiæ tempus affignatum, & Deum fibi arcanum illud refervaffe conftantiffime pugnant: immo eò obftinata, & obcœcata ipforum perfidia devenit, ut fub graviffima imprecatione, & anathematis pœna prohibuerint, ne quis eorum adventus Meffiæ periodos, tempufque computare auderet: *Inflata rumpantur offa eorum, qui periodos computant*. (a) Hos igitur alloquar cum Seneca:

Compefce verba: parce jam demens nimis

Animofque minue (b).

En clariffimum Jacobi morientis vaticinium Gen. c. 49. 10. *Non aufe-*

(a) Thalm. cod. Sanhedrin c. 4. (b) Medææ act. 1.

auferetur &c. Quod quidem vaticinium personam Messiæ unice respicere, suumque habuisse complementum tam clare nobis compertum est, atque exploratum, ut ex illo apertissime tempus Messiæ adventus demonstratum contendamus, & statuamus invicte ex illo demonstrari Messiam advenisse.

VI.

Danielis hebdomadæ, quæ leguntur c. 9. v. 24. & seq. revincunt quoque recutitos Judæos. Has annorum hebdomadas volumus intelligendas, ac supputandas, non ab exitu sermonis Angeli, sed ab exitu sermonis ut ædificetur Jerusalem, seu a promulgato Regis Persarum edicto, quod certe illud esse nequaquam potest, quod tulit Cyrus anno primo regni sui, aut Darius Histaspis, vel Artaxerses Longimanus anno imperii sui 7. sed illud, quod anno 20. edidit idem Artaxerses.

VII.

Adsunt & permulta alia profetica oracula satis idonea ad refellendam Judæorum perfidiam, ut Deuter. (*a*) Micheæ (*b*) Aggei (*c*) & præcipue Isaiæ, qui singulis fere, & integris capitibus adeo clare & aperte Messiæ tempora adnotavit, & ipsum Christum ita designavit, ut Hieronymus scite, & eleganter more suo, non tam prophetiam, quam Evangelium, & Christi historiam Isaiam texuisse scripserit (*d*) Quid ad hæc reponunt Judæi? Hi duræ cervicis homines non

La-

(*a*) cap. 18. v. 15. 18. (*b*) cap. 5. v. 2. (*c*) cap. 2. v. 8. 10.
(*d*) Ep. ad Paulinum, & Praef. in Isaiam.

Laxo meditantur arcu
Cedere campis (a).

Sed alios impudentissime intrudunt Messias: nimirum Dositheum, Simonem Samaritanum, Barchochebam, Davidem Eldavidem, ac Vespasianum ipsum suæ perditionis auctorem. Verum experientia edocti hos omnes impostores fuisse jam coguntur fateri. Conferant, nunc si lubet, veteris Testamenti loca, in quibus veri Messiæ characteres adumbrantur: subiiciant tum Evangelistarum verba, quæ vaticiniorum in Christo complementum ostendunt evidentissime, & fateantur necesse erit Jesum Nazarenum verum fuisse Messiam, a Deo Prophetarum ore promissum.

VIII.

Eadem veritas magis magisque elucescet; si ad miracula a Christo patrata animus intendatur, non eo tantum titulo quod nequeant fieri in confirmationem erroris, sed etiam quod Messiæ adventus notis indicant singularibus. Quis enim nisi a Deo missus, vel Deus de Deo cæcos illuminare, surdis reddere auditum valet, genua debilia roborare, claudos sanare, mortuos ad vitam revocare, ut Isaias vaticinavit futurum de Messia? nonne hæc omnia præstitit Christus, ut legere possumus apud Evangelistas? nonne stella, quæ in Oriente apparuit in Christi nativitate; visibilis Spiritus Sancti descensus in Baptismate; solis obtenebratio in ejus morte Plenilunii tempore, & in Meridie jam prænunciata ab Isaia, & Amos apertissime conclamant Jesum verum

rum

(a) Hor. od. 8 lib. 3.

rum Messiam? *Noli (ergo o Judæe) esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo (a).*

IX.

Cum autem Messiam e Vergine nasciturum aperte enunciet Isaiæ vaticinium c. 7. v. 14. *ecce Virgo concipiet &c.*, quod & uni Christo convenire, & in solo Christo completum fuisse profitemur; nos ut magis magisque elucescat Jesum fuisse verum Messiam, firmiter constanterque pronuntiamus ipsum e Matre Virgine conceptum, & in lucem editum absque Virginalis claustri jactura, nec non Mariam ad mortem usque propriæ virginitatis immaculatum lilium servasse, quidquid ausu temerario, ac animo pertinaci vel Judæi, vel Hæretici in contrarium possint effutire.

X.

Christum e Spiritu Sancto conceptum suum corpus non aliunde, sed materna traxisse ex carne, proclamant Scripturæ, profitetur Ecclesia. Quapropter merum somnium putamus quod Valentinus, Basilides, Marcio, & Manichæi ausi sunt venditare, nullum nisi phantasticum corpus habuisse. Cum enim nobis constet Christum vere, & naturaliter passum, acceptis passionibus prout præcise afficiunt animum, aut sensus corporis, necessum est asseramus, verum habuisse corpus compactum ex carne, ossibus, & sanguine, aliisque hujusce generis fibrillis, quæ ad humanam naturam pertinent.

Si

(a) Ecclef. c. 7. v. 18.

XI.

Si autem Christo verum, & non phantasticum corpus attribuimus, veram animam, & quidem omnibus suis perfectionibus præditam, Verbum assumpsisse non dubitamus, quemadmodum Scriptura, Patres, & Theologica argumenta evincunt evidenter. Unde merito damnamus Apollinaristas autumantes vicem animæ præstasse Divinitatem, solam sensitivam animam Christo attribuentes.

XII.

Est igitur Christus verus Messias, verusque Deus & homo. Deus ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo ex substantia matris in sæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, ex humana carne subsistens: æqualis Patri secundum Divinitatem, minor Patre secundum humanitatem.

XIII.

Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Est igitur Christus unica persona in duabus naturis consistens, &, non quantum ad humanam attinet naturam, sed quantum ad personam, est ipsum Verbum, quod fuit ab initio, quod est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, verus Deus, antiquior Abrahamo, & in æternitate permanens in sinu ejusdem Patris: unde reprobamus, damnamus, anathematizamus Nestorium, ejusque asseclas negantes

Verbum Dei in unitatem personæ humanam sibi copulasse naturam.

XIV.

Quem igitur enixa est Virgo mater, est idem filius Dei, & quidem non adoptione, sed nativitate, generatione, & natura. Quapropter Mariam, quæ concepit, peperit, genuitque verbum unigenitum Dei filium, recte Deiperam appellandam censemus.

XV.

Unicam in Christo personam venerantes, duas naturas, humanam nempe & divinam, in eodem confitemur, ut post adunationem naturæ duo sint distinctæ invicem atque impermixtæ, licet separatim minime subsistentes, sed in eadem hypostasi & persona unitione physica, & substantiali copulatæ. Jure itaque meritoque Eutychianum dogma a Facundo Hermianensi appellatum scitum profanum ac fatuum, proscribimus, & damnamus.

XVI.

Quoniam vero quorum, ut ait Damascenus, (a) diversa natura est, horum est diversa actio, duas agnoscimus in Christo voluntates, & operationes adversus Monotelitas. Admittimus etiam in Christo communicationem idiomatum, respectu tamen personæ, non vero respectu naturæ. Quare debemus, quæ vero Deo conveniunt, Divinitati ejus, quæ homini, humanitati nostræ, quam propter nos assumpsit, accomodare (b).

(a) Lib. 3. de fide cap. 15. (b) S. Cyril. in X. Thesaur.

XVII.

Hinc supinus error, hæresis est execranda *Ubiquistarum* sententia, qui autumant vi unionis hypostaticæ convenire humanæ Christi naturæ omnipræsentiam. Hanc equidem propugnarunt primo Joannes Brentius, Jacobus Andreas Schimdelius, tum Lutherani quamplures; & postquam fatis cessit Melanchthon, navante operam Illyrico, hanc ipsam opinionem fere omnes Lutherani amplexati sunt; Verum auctoritate Scripturarum, Patrum traditione, & ratione ipsa Theologica, eam facili negotio refelli posse judicamus.

XVIII.

Sempiternus igitur mortalitatem, incircumscriptus formam nostram assumpsit, semetipsum humiliavit usque ad mortem, factus est peccatum, & maledictum, e cruce pependit, ut pretiosi sanguinis lytro nos a captivitate reduceret, principem tenebrarum ejiceret, inferni spolia diriperet, ac regnantis mortis imperium destrueret. Ingentem hanc Redemptoris beneficentiam, ac soluti pretii dignitatem, atque oblationem temere, audacter, sacrilege parvi pendunt Hæreticorum complures, vel ad solos prædestinatos coarctando, vel ad neminem prorsus veram Redemptionem pertinere impie dogmatizantes. Damnatas hasce opiniones abjurantes asserimus Christi Domini redemptionem ad homines universos & singulos pertinere, in quorum numero & fœmineum sexum comprehendimus, quidquid Horatius Plata in contrarium protulerit.

XIX.

Cumque Christi merita infiniti pretii consideremus, exhibitam ab ipso satisfactionem per mortem, quam pertulit, recognoscimus superabundantem, omnesque conditiones habere, quæ ad exactas justitiæ leges exigi possunt.

XX.

Hinc cum Deus noluerit peccata nostra per solam condonationem dimittere, intelligimus nedum quam maxime decuisse, ut condigna Divinæ Justitiæ satisfactio exhiberetur, quam præstitit Deus homo Christus Jesus, sed nec injustum fuisse pro nobis Christum subire crucis supplicium, eique pecca ta nostra imputari.

XXI.

Facta enim hypothesi, quod decreverit Deus, servato omni jure æquitatis, redimere captivum hominem; deducere oportet, nullam creaturam a Divina persona hypostatice non assumptam, neque ad consortium, nexumque substantialem divinitatis evectam munus Mediatoris, ac Redemptoris implere posse tali soluto pretio, quod æquare valeat peccati magnitudinem, ac debitum prorsus delere, unde Adam Januensis canit

(a) *Ita salus hominis sub opaca male ferenda*
Tanti erat, ut totum natura creata vel omnis
Angelica humanum genus instaurare nequiret.

Hoc

(a) In histor. Domi. Passio.

Hoc autem non solum de redemptione hominum universorum intelligimus, sed etiam de rigorosa satisfactione pro uno dumtaxat impio propter peccati granditatem.

XXII.

Hinc ad Christi meritum nihil defuisse credimus: non defuit arbitrii libertas, cum oblatus fuerit, quia ipse voluit, & potestatem habuerit ponendi animam suam (*a*): non gratiæ ornamentum, quia plenum Spiritu Sancto, & gratia exornatum eum recognoscimus (*b*): non obedientiæ perfectio, servavit enim mandatum Patris, factus obediens usque ad mortem: non denique Dei prærordinatio, ac promissio. Hinc ejus singulari obedientiæ retributum a Deo præmium exaltatione nominis sui, Patris glorificatione in universo terrarum orbe, nec non omnium redemptione, Justificatione multorum, atque electorum gloria, ut colligimus ex Isaia (*c*) ex Joanne (*d*) ex Paulo (*e*).

Hoc igitur pretio captivi cum redimuntur,
Agnoscant quali conclusi carcere, quove
Obsessi fuerint morbo: quibus eripiendis
Succurri haud aliter potuit, quam morte medentis (*f*).

Quod quidem si præstabimus, præterquam quod & nostram dignitatem agnoscemus, & consortes facti divinæ naturæ in veterem vilitatem degeneri conversatione haud quaquam redibimus, & sic adepti participationem generationis Christi carnis operibus perpetuo renunciabimus.

FINIS.

(*a*) Isai. c. 53. Joan. 10. (*b*) Isai. c. 11. (*c*) Cap. 53. v. 10. (*d*) Cap. 17. v. 5. (*e*) Cap. 9. ad Rom. v. 9. 11. (*f*) Carm. de ingrat. cap. 34. alias 43. S. Prosp.